



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XLV. De Reliquis, & Veneratione Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS XLIV.

DE CUSTODIA EUCHARISTIÆ,
CHRISMATIS, ET ALIORUM SACRAMENTO-
RUM.

Eucharistiam, & sacrum Chrisma fideliter custodienda ex *c. 1.* habentur, & nulla facillè suppellectilia Clericorum, aut laicorum in Ecclesia offerenda, nisi gravis necessitas belli, aut incendij v. g. urgeat. *ex c. 2. h. 1.* patet.

TITVLVS XLV.

DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE
SANCTORUM.

Uo sunt, quæ in hoc titulo deciduntur 1. quòd nullus publico cultu, ut Sanctus sit colendus, nisi à Summo Pontifice fuerit canonizatus, siue quod idem est, nisi post præmissam diligentem, & accuratam examinationem super vitæ, morumque probitate, & miraculorum, sine quibus nulla sit canonizatio hodie, veritate à Summo Pontifice albo sanctorum adscriptus fuerit, ac ut sanctus ab omnibus colendus, declaratus, *c. 1. h. 1.* vel certè de personæ talis sanctitate per traditionem, & universalem Ecclesiæ consensum constet, quæ solet esse æquivalenter canonizatio. Et hinc habetur, quòd soli Summo Pontifici, non autem Episcopo, nec pro sua diæcesi canonizare hodie concessum sit (quidquid olim praxis habuerit) ob multas fraudes cavendas, & plures alias rationes, quæ cuiusvis facillè occurrunt. 2. Deciditur etiam, quòd sanctorum reliquiarum non tantum non debeant venales exponi (quia res sacræ non sunt pretio temporali æstimabiles) sed nec passim & indifferenter ostendi, & si antiquæ sint, extra capsam, cui sunt inclusæ, non sint ostendendæ, ne detur scilicet pluribus maledicis occasio, scabiosè, & irreverenter de sanctis loquendi, aut videantur hæc talia fieri quæstus causa &c. Si verò de novo sint inventæ, publicè non exponantur, nisi auctoritate Summi Pontificis sint approbatæ *c. 2. h. 1.* aut nisi certè constet illas, quæ de novo repertæ sunt, esse alicujus sancti jam olim ab Ecclesia approbati; quarum tamen, antequam publicè exponantur, recogni-

cognitio ab Episcopo fieri debet, ut vult
Trident. Sess. 25. in Decret. de invocat.
Et reliq. sanct. quia hac in re, quæ plu-
 rimum sæpius hæreticorum laudibus
 tur; cautè agendum vult Ecclesia.

TITVLVS XLVI.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

Examinatur etiam hujus tituli mate-
 ria sufficienter à Theologia morali,
 cui ea relinquatur.

TITVLVS XLVII.

DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

IN antiqua lege præceptum erat, de
 facienda post partum purificatione,
 post 40. vel 80. dies à partu, ante quod
 tempus non poterat templum ingredi
 puerpera: hodie tamen in nova lege
 Evangelica tale præceptum non extat,
 improbanda tamen devotio non est,
 ait Pontifex in *c. unic. b. 2. si quis vellet*
 quamdiu ob reverentiam, ab ingressu
 Ecclesiæ ante purificationem publicè
 etiam abstinere.

TITVLVS XLVIII.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS VEL
REPARANDIS.

§. I.

De Ecclesijs ædificandis.

Potest quidem quilibet in proprio
 fundo novam Ecclesiam ædificare.

duæ tamen conditiones illi observanda
 sunt. 1. ut per hoc alteri Ecclesiæ non
 inferatur præjudicium. 2. ut interve-
 niat legitimi superioris, Episcopi scilicet,
 si in loco non exempto ædificat, aucto-
 ritate